



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. I. Neceßitas Ideae Christiformis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940



INCARNATIONIS MYSTICÆ

P A R S S E C V N D A .

CONCEPTIO CHRISTI
Mystica, five Idea JESU
amatoria.

C A P U T I .

Necessitas Idea Christiformis.

NIMIS interest ad Christiformi-
tatem, quam quisque Christi for-
mam, seu ideam animo conceperit.
Alii Joannem Baptistam, alii Eliam,
alii Jeremiam, aut unum ex Prophe-
tis, ipsi discipuli putarunt phantasma
esse, & horrerunt: ut merito expro-
bret etiam fidem, sed indoctam ha-
bentibus: (a) *Tanto tempore vobiscum
sum, & non cognovistis me.* Nos verò, ut ait
Apostolus, (b) *omnes revelata facie glo-
riam*

(a) *Ioan. 14.* (b) *2. Cor. cap. 3.*

riam Domini (hoc est Christum ipsum) specularantes,) quasi speculum intuentes) in eandem imaginem transformamur, per reflexionem scilicet radiorum lucis Christiformamur, à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu, & non amplius à nostro animati. (d) Non opprimet nos gloria ista totis licet viribus intendentes in se, nos potius imprimemur illi. Sed placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque enim id posset, nisi clara quoque ipsa esset & pura utique transformata in eandem quam conspicit claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resilliret insolito reverberata fulgore.) Ergo cum pura puram intueri potuerit veritatem, tunc Ideam JESU perfectam exprimet. Talem diligenter efformant, qui assidue contemplantur Christum, juxta monitum Abbatis Moysis apud Cassianum, (e) fornicatio-

(d) Ber. ser. 62. Cant. (e) Coll. 1. c. 13.

tionem, inquit ille, mens judicet vel momentaneum à Christi contemplatione discessum, à quo cùm deviaverit paululùm noster obtutus, rursus ad eum cordis oculos retorquentes velut rectissimâ lineâ mentis aciem revocemus.) Sanè imaginem Christi, & ideam molimur, quæ velut accensa lucerna non modò luceat omnibus animæ domesticis facultatibus, sed & ardeat, quæ sit verbum cordis, ut vocant, proinde non excors, sed Verbo æterno similis amorem spiret. Amatoria ergo sit idea JESU, & quot ejus characteres, tot advocamenta sint cordis ad JESUM. Suggestet ad ideam ejusmodi efformandam colores & lumina magna Christo graphorum vis; at nemo in tanto molimine feliciùs laborat, quàm ipsemet Domini JESU specialistimor: hic nescio, quo miraculo proles simul & genitor sui, eam unde concipitur ideam perficit, atque

que consummat: & verò si rana amor, ut vulgo ajunt, pingit hanc ut Dianam, qualem depinget amor sanctissimus Christum suum? Subjicio tota hac parte opusculi quasi colorum congeriem, ac materiam informem, quam lector pius meditatione potius quàm lectione digerat, & concipiendo per Christiformem ideam Domino Jesu applicet. Verùm timeo cum Anselmo, (e) ne quemadmodum soleo indignari pravis pictoribus, cùm ipsum Dominum nostrum informi figura pingi video, ita mihi contingat, si tam decoram materiam incompto, & contemptibili calamo exarare præsumo.) Tu lector carbone depictum solem puta, & meliori meditationis penicillo aggredere omni ex parte Christiformem.

(e) *Lib. 1. cur Deus homo, cap. 2.*